



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

Caput 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

INCIPIIT LIBER

SEXTVS

THOROMACHI

† hic titulus
est in minore
m. f. maior c-
nim caret hic
omni titulo,

Caput I.

UNTRAMMVS rex Francorum cum iam anno
XXIII. Burgundiæ regnum, bonitate plenus,
feliciter regebat; cum sacerdotibus vtique
sacerdos instar se ostendebat; & cum leudis
erat aptissimus, eleemosynam pauperibus large tribuens,
tantæ prosperitatis regnum tenuit, vt omnes etiam vici-
næ gentes ad plenitudinem de ipso laudes canerent & c.

ET cetera quæ sequuntur, quæ iam edita sunt cum Grego-
rij Turonensis historia Francorum, nomine Anonymi
auctoris, qui Gregorium continuauit. Si qua est varia
lectio, sub finem notatam reperies. Sed quia nobis propositum est
edere ea quæ nunquam edita sunt, nil hic damus præter præfatio-
nem, quæ hic noua est. In fine quoque noster m. f. codex insignem ac-
cessionem habet, quam hic, quia nunquam edita, damus.

HILtrudis quoque filia eius, faciente consilio
nefario noueræ suæ fraudulenter per ma-
nus sodalium suorum Renum transit, & ad
Dedilonem Ducem Bagvvarix peruenit. Ille vero eam
ad coniugium copulauit contra voluntatem vel con-
siliū fratrum suorum. Interea rebellantibus Gvasco
nibus in regione Aquitanix cum Chunobaldo Duce,
filio

filio Theudone quondam Carlomannus atq; Pipinus, germani, Principes, congregato exercitu Ligeris alueum Aurelianis urbem transeunt, Romanos proterunt, vsq; Biturcas urbem accedunt, suburbana ipsius igne comburunt k Chunoaldum Ducem persequentes fuga cuncta vastantes, Lucca castrum diruunt, atq; funditus subuertunt; custodes illius castrum capiunt, & inibi victores existunt, prædam sibi diuidentes habitatores eisdem locis secum captiuos duxerunt. Inde reuersi circa tempus Autumni eodem anno iterum exercitum ordinauerunt ultra Renum contra Almanos. Sederunt atq; castra metati super fluuium Danuuie in loco nūcupato Vsq;equo. Habitatores Alamanni se victos videntes, obsides donāt, iura promittunt, munera offerunt, & pacem petentes eorum suæ ditioni submitunt. Inde reuersi anno secundo regni eorum cognatus Hodilo Dux Baioariæ contra ipsum bellum excitat: compulsi sunt generalem cum Francis in Baioaria admouere exercitum, venientesq; super fluuium, qui dicitur Lech, sederunt super ripam fluminis vterq; exercitus hinc inde se mutuo vidētes vsq; ad quindecim: qui tantundem prouocati irrisionibus gentis illius, indignatione commoti periculo se dederunt per loca deserta & palustria, vbi pons transeundo nullatenus aderat, nocteq; irruentes diuisis exercitibus eos improuisos occupauerunt: commissoq; prælio prædictus Dux Hodilo cæso exercitu suo vix cum paucis turpiter ultra Igne fluuium fugiēdo euasit. His triumphis peractis, non sine dispendio multorum, tamen feliciter victores ad propria remeauerūt. Euoluto triennio iterum Carlomannus confinium Saxonorum, ipsis rebellantibus, cum exercitu irrupit, ibiq; captis habitatoribus, qui suo regno ad fines esse videbantur, absque belli discrimine feliciter acquisiuit

k Aimoin. lib.
4. cap. 59. Vo.
cat Hunoldū.

Lech.

uit, & plurimos eorum, Christo Duce, baptismi Sacramento consecrati fuerunt. Per idem tempus rebellante Theudebaldo filiam Godfredi Ducis Pipinus cum virtute exercitus sui ab obsidione alpium turpiter expulit fugientem, reuocatoq; sibi eiusdem loci ducatu, victor ad propria remeavit. Inde reuersi precelsi germani sequente anno prouocato coturno Gvvascanorum iterumque vsque ad Ligerim fluum pariter adunati venerunt, quod videntes Gvvascones præoccupauerunt pacem petentes & voluntatem Pipini in omnibus exsequentes, muneratum eum à finibus suis vt rediret, precibus obtinuerunt. His transactis sequenti anno dum Alamanni contra Carlomannum eorum fidem fefellissent, ipse cum magno furore eū exercitu in eorum patriam peraccessit, & plurimos eorum, qui contra ipsum rebelles existebant, gladio trucidauit.

His ita gestis sequenti curriculo annorum Carlomannus deuotionis causa in extingto succensus, regnum vna cum filio suo Chrohone manibus germani sui Pipini committens ad limina Beatorum Petri & Pauli Romam in monachorum ordine perseueraturus aduenit, qua successione Pipinus roboratus in regno.

Eodem anno Saxones more consueto fidem, quam germano suo promiserant, mentiri conati sunt. Qua de causa adunato exercitu ad eos peruenire compulsus est; cui etiam reges VVinidorum seu Frisionum ad auxiliandum vno animo conuenerunt. Quod videntes Saxones, consueto timore compulsi, multis ex eis iam trucidatis & in captiuitate missis, regionibus eorum igne concrematas, pacem petentes, iuri Francorum sese, vt antiquitus mos fuerat, subdiderunt; & ea tributa quæ Chlotario quondam præstiterant, plenissima solutione ab eo tempore deinceps esse reddituros promiserunt. Ex quibus plu-

Xxxx

rima

1. locus corruptus quem ex fide m. f. do. forte leg. rebellantem Theudebaldum filium Godfredi. Reliqua tu coniectura corrigenda.

rima multitudo videntes, se contra impetum Francorum rebellare non posse, proprijs viribus destituti, petierunt sibi Christianitatem sacramenta conferre. Quo peracto tempore Baioarij consilio nefandorum, iterum eorum fidem sefellerunt, & contra præfatum principem eorum fidem mentiti sunt. Qua de re commoto exercitu cum magno agmine apparato eorum patrias peraccessit: ipsi vero terrore compulsi vltra fluuium Igri cū vxoribus ac liberis eorum fugientes: & memoratus Princeps super ripam Igri castra metatus, nauale prælium præparauit, qualiter eos interneconem insequeretur. Quod videntes Baioarij eorum viribus se auxiliare non posse, legatos eum munibus multis transmittunt, & in eius ditione se subdunt, & sacramenta vel obsides donant, vt ne vltius rebelles existant. Ipse vero duce Christo, cum magno triumpho in Fraciam ad propriam sedem feliciter reme-
auit. Et quieuit terra à prælijs annis duobus. Quo tempore vna cum consilio & consensu omnium Francorum missa relatione à sede Apostolica auctoritate percepta, præcellus Pipinus electione totius Franciæ in sedem regni cum cōsecratione Episcoporum & subiectione Principum, vna cum regina Bertradane, vt antiquitus ordo deposcit, sublimatur in regno.

His transactis sequenti anno iterum Saxones contra eorum fidem, quam præfato Regi dudum promiserant solito more iterum rebelles contra ipsum existunt. Vnde & Pipinus Rex ira commotus, commoto omni exercitu Francorum iterum Reno transiecto in Saxoniam cum magno apparatu veniens, ibique eorum patriam maxime igne concremavit, captiuos tam viros quàm feminas secum duxit, cum multam prædam ibidem fecisset,

set, & plurimos Saxones ibidem prostrauisset. Conuenientibus ijs Saxones pœnitentia commoti cum solito timore clementiam regis petunt, vt pacem eis concederet, & sacramenta atque tributa multo maiora quàm ante promiserant redderent, & nunquam vltra iam rebelles existerent. Rex Pipinus Christo propitio cum magno triumpho iterum ad Renum ad castrum, cuius nomen est Bontia veniens. Dum hæc ageret, nuncius veniens ad præfatum regem ex partibus Burgundiæ quod germanus ipsius Regis nomine Gripho quondam in Gvasconiam ad Vvaiosarium Principem confugium fecerat, & Theodonem Veenensem seu & Fridericum Ultrauranum Comitum secundum partes Langobardiæ peteret, & insidias contra ipsum prædictum regem pararet apud Mauriennam urbem super fluuium Arboris interfectus est. Nam & ipsi superscripti omnes in eo prælio pariter interfecti sunt, per Ardennam siluam cum ipse rex veniens ad Theodonem villam publicam super Mosella resedisset nuncius ad eum veniens dixit, quod Stephanus Papa de partibus Romæ cum magno apparatu & multis muneribus iam monte Iouis transmeato ad eius properaret aduentum. Hæc audiens rex cum gaudio & lætitia & ingenti cura recipere eum præcepit, & filio suo CAROLO ei obuiam ire præcepit. Qui vsque ad pontem Vgone villæ publicæ ad eius præsentiam adducere deberet, ibique STEPHANVS Papa Romanus ad præsentiam regis veniens & multis muneribus tam ipsi regi quàm & Francis largitus est, auxilium petens contra gentem LONGOBARDORVM, & eorum regem AISTVLFFVM vt per eius adiutorium ab eorum opprèssionibus & fraudulentia eos & de manibus eorum liberaret, & tributa &

Xxxx 2 munc-

munera, quæ contra legis ordinem à Romanis requirebant facere, desisterent. Tunc Pipinus Rex præfatus Stephano Papa apud Parisius ciuitatem in monasterio sancti Dionysij Martyris cum ingenti cura & multa diligentia hyemare præcepit, legationem ad Aistulfum regem Longobardorum mittens, petens vt propter reuerentiam Beatissimorum Petri & Pauli in partibus Romæ hostiliter non ambularet, & superstitiosas ac impias & contra legis ordinem causas, quas antea Romæ nunquam fecerat, propter eius petitionem facere non deberent. Cum prædictus Rex Pipinus quod per legatos suos petierat, non impetrasset, & Aistulfus hoc facere contempisset, euoluto anno Rex, à Kal. Martij omnes Francos, sicut mos Francorum est, in Bernaco villa publica ad se venire præcepit, initoq; consilio cum proceribus suis eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, Stephanus Papa & reliquæ nationes, quæ nationes quæ in suo regno commorabantur, & Francorum agmina ad partes Langobardiæ cum omni multitudine per Lugdunum Galliæ & Viennam pergentes vsq; Mauriennam peruenerunt. Aistulfus Rex Langobardorum hæc audiens cum omni exercitu Langobardorum vsq; ad clusas quæ cognominatur Valle Svesiana, veniens ibi cum omni exercitu suo castra metatus est, & cum telis & machinis, & multo apparatu, quod nequiter contra rem publicam & sedem Romanam Apostolicam admiserat, nefarie nitetur defendere. Et cum supra scriptus Rex Pipinus Mauriennam cum exercitu suo redisset, & propter angusta vallium, montes, rupesq; exercitus prædicti Regis minime transire potuisset, pauci tamen montibus angustiisq; locis erumpentibus, vsq; in valles Eufana, peruenerunt. Hæc cernens Aistulfus Rex Langobardorum omnes Langobardos

bardos armare præcepit, & cum omni exercitu suo super eos audaciter venit. Hæc cernentes Franci, non suis auxilijs, nec suis viribus liberare se putabant, sed Deum invocant, & Beati Petri Apostoli adiutorium rogant. Commissoq; prælio fortiter inter se dimicantes, Aistulfus Rex Langobardorum læsum cernens exercitum suum, terga vertit, & pæne omnem exercitum suum, quem secum adduxerat tam Duces, Comites, & omnes maiores natus gentis Langobardorum in eo prælio omnes amisit, & ipse quodam monte rupis vix lapsus euasit, Ticinum urbem suam cum paucis venit. Igitur præcellus Rex Pipinus, patrata Deo adiuuante victoria, cum omni exercitu & multitudine, agmina Francorum vsq; ad Ticinũ accessit, castra metatus est, vndiq; omnia quæ in gyro fuerunt vastans partes Italiæ maxime igne concremauit; totam regionẽ illam vastauit, castra Langobardorum omnia dirupit & multos thesauros & alia ornamenta quamplurima & eorum tentoria omnia rapuit & cepit. Hæc cernens Aistulfus Rex Longobardorum, quod nullatenus euadere potuisset, pacẽ per sacerdotes & optimates Francorum petens, ditiones super dicto Rege Pipino faciens & quicquid contra Romanam Ecclesiam vel sedem Apostolicam, contra legis ordinem fecerat, plenissima solutione emendaret, sacramenta & obsides ibidem donat, vt nunquam à Francorum ditione se abstraheret, & vterius ad sedem Apostolicam Romanam & rempublicam hostiliter nunquam accederet. Præfatus Rex Pipinus clemens vt erat, misericordia motus vitam & regnum ei concessit & multa munera Aistulfus partibus prædicti Regis donat, nam & optimatibus Francorum multa munera largitus est. His itaq; gestis, Pipinus Rex prædicto Stephano Papa cum optimatibus suis & multa munera partibus Ro-

ma cum magno honore direxit, & sedem Apostolicam incolumem, sicuti prius fuerat, restituit. His transactis Pipinus Rex cum exercitu suo & multis thesauris ac multis muneribus, Deo adiuuante, reuersus est ad propria. Sequenti anno Aistulfus Rex Langobardorum fidem suam quam regi Pipino promiserat, peccatis facientibus, sefelicit. Iterum ad Romam cum exercitu suo veniens, fines Romanorum peragrans, atque regionem illam vastans ad Ecclesiam sancti Petri perueniens, & domos quas ibidem reperit, maxime igne concremauit. Hæc Pipinus Rex cum per nuncios audisset, nimio furore & ira motus, comoto iterum omni exercitu Francorum per Burgundiam per Caullonnam urbem & inde per Ianuam usque ad Mauriennam veniens. Rex Aistulfus cum hoc reperisset, iterum ad clusas exercitum Longobardorum mittens, quod regi Pipino & Francis resisterent, & partes Italiae intrare non sineret. Rex Pipinus cum exercitu suo monte Cinisio transacto usque ad clusas ubi Longobardi resistere nitentur, perueniens, & statim Franci solito more, ut edocti erant, per montes & rupes erumpentes in regnum Aistulfi cum multa ira & furore intrant, Longobardos quos ibi reppererunt, interficiunt. Reliqui qui remanserant, vix fuga lapsi euaserunt. Rex Pipinus cum nepote suo Tasilone cum Baioarorum duce partes Italiae usque ad Ticinum iterum accessit, & totam regionem illam fortiter deuastans, & circa muros Ticini utraq; parte fixit tentoria, ita ut nullus exinde euadere posset. Hæc Aistulfus rex Longobardorum cernens, etiam nullam spem se euadendi speraret, iterum per supplicationem sacerdotum, & optimatum Francorum, veniam & pacem prædicto supplicans, & sacramenta, quae præfato regi dudum dederat, atque contra sedem Apostolicam rem nefariam fecerat, omnia iudicio Francorum & sacerdotum plenissima solutione emendaret. Igitur rex Pipinus solito more iterum misericordia motus ad petitionem optimatum suorum vitam & regnum iterato concessit. Aistulfus rex iudi-

iudicio Francorum & sacerdotum, thesaurum qui in Ticino erat, id est tertiã partem prædicto regi tradidit, & alia multa munera maiora quam antea dederat partib⁹ regis Pipini dedit, sacramenta iterum & obsides donat, vt amplius nunquam contra regem Pipinum & proceres Francorũ rebellis & contumax esse non debeat, & tributa, quæ Longobardi regi Francorũ à longo tempore dederãt, annis singulis permiffos suos desoluere deberet. Præcellus rex Pipinus victor cū magnis thesauris & multis muneribus absq; belli euentu cū omni exercitu suo illæso ad propriã sedem regni sui remeavit incolumis, & quieuit terra à prælijs annis duob⁹. Post hæc Aistulfus rex Longobardorũ, dum venationem in quadam insula exerceret, diuino iudicio de equo, quo sedebat, super quandã arborem proiectus vitam & regnum crudeliter digna morte amisit. Longobardi vna cum consensu prædicti regis Pipini & consilio procerum suorum, Desideriũ in regni sedem instituant. Dum hæc agerentur rex Pipinus legationẽ Constantinopolim ad Constantinũ Imperatorem p̄ amicitia causa & salute patriæ suæ mittens, similiter & Constantinus Imp. legationẽ præfato regi cū multis munerib⁹ mittens, & fidẽ p̄ legatos eorũ vicissim inter se promittunt. Nescio, quo faciẽte, postea amicitia, quã inter se mutuo promiserãt, nullaten⁹ sortita est effectũ. His itaq; gestis & duob⁹ annis cū terra cessasset à prælijs, prædictus rex Pipinus legationẽ ad VVaiofariũ Aquitanum principẽ mittens, petens p̄ legatos suos, vt res Eccl. de regno ipsi⁹, quæ in Aquitania sita erãt redderet, & sub immunitatis nomine, sicut ab antea fuerant conseruatas esse deberent, & iudices ac actores in supra dictas res Ecclesiarum, quod à longo tempore factum non fuerat, committere non deberent, & Gothos prædicto regi, quos dudum VVaiofarius contra legis ordinem occiderat, ei soluere deberet & homines suos, quod de regno Francorum ad ipsum VVaiofarium principem confugium fecerunt, reddere deberet, hæc omnia

Mors Aistulphi.

Desiderius.
Vide Aimoin.
lib. 4. cap. 63. 64
65.

Vvaiofarius, quæ prædictus rex per legatos suos ei mandauerat, hoc totum facere contempsit. Igitur Pipinus rex inuitus coactus undiq; contraxit exercitum, & partibus Aquitaniæ, per pagam Trecatinam vsque Antisiodorum urbem accessit, inde ad Ligerem fluuium cum omni exercitu Francorum ad Masuam vicum in pago Antisiodorensi Ligerem fluuium transmeauit, per pagum Biturinum vsque Auernicam accessit, regionem illam peruegens, & maximam partem Aquitaniæ igne concremauit. Vvaiofarius princeps Aquitaniæ, per legatos suos pacem supplicans, Sacramenta & obsides ibidem donat, & omnes iusticias quas præfatus rex Pipinus per legatos suos ei mandauerat, in placito instituto facere deberet. Rex Pipinus cum omni exercitu suo illæso reuersus ad propria, reuoluto anno id est anno decimo regni ipsius omnes optimates Fræcorum ad Dura in pago *Riguernisi ad componendum pro salute patriæ & vtilitate Francorum tractanda placito instituto ad se venire præcepit. Dum hæc agerentur Vvaiofarius inuito iniquo consilio contra Pipinum regem Francorum insidias parat, exercitum suum cum Vniberto Comite Biturui, & Blaudeno Comite Aruernico, qui dudum ante annum superiorem ad prædictum regem Pipinum cum Bertellano Episcopo Bitoricæ ciuitatis missus fuerat, & animum regis ad iracundiam nimium prouocasset, cum reliquis Comitibus clam hostiliter vsq; Caualonum, omnem exercitum suum transmisit, & totam regionem illam id est Augusdunensium vsque ad Caualonum igne cremauit & suburbana Caualoni vrbs quidquid ibidem reperierunt; omnia vastauerunt Melciam conuillam publicam incendio cremauerunt cum multis spolijs & præda nullo resistente remeauerunt ad propria. Cum hoc Pipino regi nunciatum fuisset,

Aimoin. 4.
cap 65. vocat
villam Durā

fuiſſet, quod Vvaiofarius maximam partem regni ſui vaſtaſſet, Sacramenta, quæ ei dederat ſeſellifſet, nimium ira motus iubet omnes Francos vt hoſtiliter, placito inſtituto, ad Ligerem veniſſent: commotoque exercitu cum omni multitudine iterum uſque ad Trecaſ accessit, inde per Antifiodorum ad Neuernum urbem veniens, Ligeris fluuio tranſneato, ad caſtrum, cuius nomen eſt * Burbone in pagum Bitoruium peruenit. Cumq; in gyro caſtra poſuiſſet ſubito à Francis captum & ſuccenſum eſt, & homines Vvaiofarij, quos ibidem inuenit, ſecum duxit, maximam partem Aquitranix vaſtans, uſque urbem Auernam, cum omni exercitu veniens Claremontem caſtrum captum atq; ſuccenſum bellando cepit, & multitudinem hominum tam virorum quam mulierum & infantum plurimos in ipſo incendio cremauerunt. Blandinum comitem ipſius urbis Auernicæ captum atq; ligatum ad præſentiam regis adduxerunt: & multi Vvaiſcones in eo prælio capti atque interfecti ſunt. Igitur rex Pipinus urbe capta ac regione illa tota vaſtata cū præda & populo multo, Deo auxiliante, cum illæſo exercitu iterum remeauit ad propria. Factum eſt autem poſtquam Pipinus rex urbem Auernam cepit hanc, regionem illam totam vaſtauit.

Aimoin. 16.
Borbonum
vocat.

Sequenti anno id eſt anno vndecimo regni ipſius cum vniuerſa multitudine gentis Francorum Bitoricas venit, caſtra metatus eſt vndique & omnia quæ in gyro fuerunt, vaſtauit; circumſepit urbem munitione fortiffimam, ita vt nullus egredi auſus fuiſſet, aut ingredi potuiſſet. Cum machinis & omni genere armorum circumdedit eam vallo, multis vulneratis, plurimiſq; interfectis Francis, per muros cepit urbem, & reſtituit eam ditioni ſuæ iure prælij, & homines illos, quos Vvaiofarius ad defendendum

Yyy

ipſam

ipsam ciuitatem dimiserat, clemētia suā pietatis absoluit,
 dimissiq; reuersi sunt ad propria. Vnibertum Comitem &
 reliquos Vascones, quos ibidem inuenit, sacramenti da-
 tis secum adduxit, vxores eorum ac liberos in Franciam
 ambulare præcepit, muros ipsius Bitoricæ ciuitatis re-
 staurare iubet, Comites suos in ipsam ciuitatem ad custo-
 diendum misit. Inde cum omni exercitu Francorum
 vsq; ad castrum quod vocatur * Toarcius veniens. Cum-
 que in gyro castra posuisset, ipse castrum mira celeritate
 captum atque successum est, & Gunstones, quos ibidem
 inuenit vna cum ipso Comite secum duxit in Franciam.
 Pipinus Christo duce cum omni exercitu Francorum
 cum multa præda & spolijs iterum reuersus est ad sedem
 propriam. Facta est autem longa altercatio inter Papi-
 num regem Francorum & Guaiofarium Aquitanæ prin-
 cipem. Pipinus rex, Deo auxiliante, magis ac magis cre-
 scens & semper se ipso robustior in se ipso factus est, pars
 autem Vuaiofarij, & eius Tyrannidis decrescēs quotidie.
 Vuaiofarius princeps semper contra prædictum regem
 Pipinum insidias parare dissimulat. Nam Mancionem
 Comitem consobrinum suum ad partes Narbonæ cum
 reliquis Comitib⁹ transmisit, vt custodias, quas prædictus
 rex Narbonam, propter gentem Saracenorum ad custo-
 diendum miserat, ne aut intrarent, aut si quando iterum,
 in patriam reuertentur, capere aut interficere suos pos-
 sent, factum est autem vt Astraldus Comes & Galemani-
 us itemq; Comes compares eorum ad propria reuerte-
 rentur, sic Mancio vna cum multitudine gentis Gvva-
 scanorum super eos irruit, fortiter inter se dimicantes.
 Prædictus Galemanius & Astraldus ibidem Mancionē &
 vniuersos pares suos, Deo adiuuante, interficiunt, hæc cer-
 nentes Gvvascones terga vertūt, omnes equites quos ibi-
 dem adduxerant, amiserunt, montes vallesq; peruagātes
 pauci tamē vix fugaciter euaserunt. Ipsi vero cū multa præ-
 da &

Almoïn. 4. cap.
 66. air vsque ad
 Carduciam
 seu Cadurci-
 am accessisse.

da & equitibus & spolijs cum gaudio reuerſi ſunt ad ppria. Dú hiſ & alijs modis Franci & Gvſacones ſemp inter ſe altercarét, Chilpingus Comes Auernorú collecto vndiq; exercitu, in pago Lugdunéſi in regno Burgúdiæ ad præliadú ambulare nitebatur. Cōtra quem Adalard^o Comes Gualonéſis & Aſtraldus idemq; Comes cum parib^o eorum cōtra eum veniétes. ſtatim Chilpingus Comes in eo prælio à ſupra ſcriptis Comitibus occiſus eſt, & multi qui cū eo venerát, ibidem interfecti ſunt. hæc videntes Gvſacones terga vertunt. Vix pauci ſyluis & paludib^o ingreſſis euaserút.

Amanugus^o Comes Piſtauéſis dum Turonicam infeſtaram prædaret & ab hominib^o Gvlfardi Abbatis monaſterij beati Martini interfectus eſt, & plures, qui cum eo ibidem venerát cum ipſo pariter ceciderunt, reliqui qui remanſerát terga vertentes, pauci vix euaserunt. Dum hæc agerentur, Remiſtanus auunculus Gvaiofatij ad prædictum regem veniens, ſacramenta multa & fidem prædicto regi Pipino promiſit, vt ſemper fidelis tam prædicto regi, quam & filijs ſiue omni tempore eſſe deberet. Rex verò Pipinus in ſuam ditionem eum recepit, & multa munera auri & argenti & præcioſa veſtimenta equites & arma largiendo ditauit.

Rex Pipinus caſtrum cui nomé Argentonnis in pago Bitoruio à fundaméto miro opere in priſtinum ſtatú reparare iuſſit, Comites ſuos ibidé ad cuſtodiendú mittés ipſum caſtrum, Remiſtano ad Gvaiofario reſiſtédum cū eis medietatem pagi Bitoruio vſq; ad Care cōceſſit. Vidés prædictus Gvaiofarius princeps Aquitanicus, q; caſtrum Clare mótiſ rex belládo ceperat, & Bitoricas caput Aquitanie, munitiſſimam vrbem cū machinis cepiſſet, & impetum eius ferre nō potuiſſet, omnes ciuitates, quæ in Aquitania Prouincia ditionis ſuæ erant, id eſt Piſtauis Lemodicas, Sanctionis, Petrecors, Equoliſma, & reliquas quam plures ciuitates & caſtella, omnes muros eorum in terram proſtrauit, quos poſtea præceſſus rex Pipinus reparare iubet, & homines ſuos ad ipſas ad cuſtodiendú dimiſit. Yyyy. 2. Ite;

Iterum eo anno cum omni exercitu suo prædictus rex Pipinus ad sedem propriam reuersus est. Iterum sequenti anno commoto omni exercitu Francorum per Treca inde Antisiodorū vsq; ad Auernū urbem cū omni exercitu veniens, ibiq; cum Francis, & proceribus suis placitum suum Campomadio tenens, postea Ligere transacto Aquitaniam pergens vsq; ad Lemodicas accessit, totam regionem illam vastans, villas publicas, quæ ditionis Guaiofarij erāt, totas igne cremare præcepit. Tota regione pene vastata, monasterijs multis depopulatis vsq; Hisandonem veniens, vnde maximam partem Aquitaniam, vbi plurimum vinearum erat, cepit ac vastauit, vnde pene omnis Aquitania tam Ecclesiæ, quam monasteria, diuites & pauperes vina habere consueuerunt, omnia vastauit & cepit. Dum hæc agerentur Guaiofarius cum exercitu magno & plurimorum Gvvascanorum, qui vltra Garronam commorantur, qui antiquitus vocati sunt Vaoeci, contra prædictum regem veniens, sed statim solito more omnes Gvvascones terga verterūt, plurimi ibidem à Francis interfecti sunt. hæc cernens rex persequi eum iubet, & vsq; ad noctem eum persequens, vix Guaiofarius cum paucis, qui remanserant fugiendo euasit. In eo prælio Blaudinus Comes Auernorum, quem prædictus rex prius ceperat, & qui postea ad Guaiofarium confugium fecerat, interfectus est. Rex Pipinus, opitulante Deo, victor exitit, patata iterum victoria cum magno triumpho iterum ad Degontum cum omni exercitu Francorum ad Ligere veniens. Inde per pagum Augustudunensem ad propriam sedem remeavit, ibi victus Guaiofarius legationem ad prædictum regem mittens, petens eum, quod Bitonicas & reliquas ciuitates Aquitaniam prouinciæ, quas de manu eius prædictus rex abstulerat, ei redderet, & postea ipsas

p̄sas Guaiofarius ditioni suæ faceret. Tributa & munera,
 quæ antecessores sui reges Francorum, de Aquitania pro-
 uincia exigere consueuerant, annis singulis partibus præ-
 dicto regi Pipino soluere deberet. Sed hoc rex per consi-
 lium Francorum & plurimorum nationis qui in regno
 suo commorabantur, & procerum suorum facere con-
 tempfit. Euoluto igitur anno, commoto omni exercitu
 Francorum vsq; Aurehanis veniens ibi placitum suum
 Campomaj quod ipius primus pro campo Martio, pro
 utilitate Francorum instituit tenens, multis muneribus à
 Frâcis & proceribus suis ditatus est. Iterum Ligere trã-
 acto totam Aquitaniã pergens vsq; ad Agimum veniẽs
 totam regionem illam deuastauit: videntes tam Gvvasco-
 nes, quam maiores natu Aquitaniæ necessitate compulsi
 plurimi ad eum venerunt, sacramenta ibi donant, & se
 ditioni suæ faciunt; ita omnis Aquitania prouincia vastata
 cum multa præda ac spolijs per pagum Præteoricam
 & Equalisnam, iam pene omni Aquitania acquisita cum
 omni exercitu suo Francorum iterum eo anno cū omni-
 bus suis reuersus est in Franciam.

Iterum denuo sequenti anno commoto omni exercitu
 Francorum per pagum Trecafinam inde ad urbem Anti-
 sfiodorum veniens ad castrum, quod vocatur Gordinis
 cum regina sua Bertrada iam fiducialiter Ligere transacto
 ad Bitoricas accessit, palatium sibi ædificare iubet. Iterum
 campomadium, sicut mos erat, ibidem tenere iubet ini-
 toq; cõsilio cum proceribus suis præfatam reginam Ber-
 tardam cū reliquis Francis ac Comitibus fidelibus suis in
 prædicta Bitorica dimisit, ipse prædictus rex reliquis Fran-
 cis & optimatibus suis ad persequendum Guaiofarium ire
 perrexit. Cumq; prædictus rex ipsum Guaiofarium per-
 sequens non reperiret, iam tempus hyemis erat, cum o-
 mni exercitu ad Bitoricas, vbi præfatam reginam Bertra-
 dam

Yyyy 3

dam dimiserat reuersus est. Dum hæc agerentur Remistanus filius Iudonæ, quondam fidem suam, quam prædicto regi Pipino promiserat, fefellit, & ad Guaiofarium iterum veniens ditioni suæ faciens, quod Guaiofarius cū magno gaudio eum recepit, & adiutorem sibi contra Francos & prædictum regem eum instituit. Super scriptus Remistanus contra prædictum regem & Francos, seu custodias quas ipse in ipsius ciuitatibus dimiserat nimium infestus accessit, & Bitorium seu Limoticinum quas rex acquisierat, prædando nimium vastauit, ita vt nullus colonus terræ ad laborandum, tam agros quam vineas colere non audebat. Prædictus rex Pipinus in Bitorice per hyemem totam cum regina sua Bertrada in palacio resedit, totum exercitum suum per Burgundiam ad hyemandum mittens natale domini nostri Iesu Christi & sanctæ Epiphaniæ apud Bitoricas urbem per consilium Episcoporum & Sacerdotum venerabiliter celebrauit. Euoluto igitur eo anno cum in Bitoricis resideret, medio ante Februariū omnem exercitum suum, quem in Burgundiam ad hyemandum miserat ad se venire præcepit, initoque consilio, contra Remistanum insidias parat, Hermenaldum, Beringarium, Childeradum, & Chunibertum Comitem Bitorinum cum reliquis Comitibus & leudibus suis ad ipsum Remistagnum capiendum mittens, prædictus rex Pipinus cum omni exercitu Francorum, iterum ad persequendum Guaiofarium ire destinauit. Bertrada regina Aurelianis transiens, & inde nauali euectione per Ligerem fluuium vsq; ad Sellus castrum super fluuium ipsius Ligeris peruenit. His itaq; gestis nunciatum est regi quod missi sui, quos dudum ad Amormui regem Saracenorum miserat

rat

rat, post tres annos ad Marsiliam reuerſi fuiſſent legationem prædicti Amormuni regis Saracenorum ad præfatum regem cum multis muneribus ſecum adduxerant. Quod cum compertum regi fuiſſet, miſſos ſuos ad eam direxit, qui eos venerabiliter recipere, & uſq; ad Mettis ciuitatem ad hyemandum ducerent. Igitur ſuperſcripti Comites, qui ad Remiſtagnum capiendum miſſi fuerant, per diuinum iudicium, & fidem regis eum capiunt, & ligatum ad præſentiam regis cum vxore ſua adduxerunt, quam ſtatim rex * Vniberto & Ghifelario Comitibus Bitoricæ ciuitatis ipſum Remiſtagnum in patibulo ſuſpendi iuſſit. prædictus rex Pipinus uſq; ad Garonnam acceſſit. Ibi Gyvaſcones, qui ultra Garonnam commorantur, ad eius præſentiam venerunt, & ſacramenta & obſides prædicto regi donant, vt ſemper fideles partibus regis ac filijs ſuis Carolo & Carlemano omnitempore eſſe debeant. Et aliæ multæ quamplures gentes ex parte Guaiofarij, ad eum venientes, & ſe ditioni ſuæ ſubdiderunt. Rex vero Pipinus benigniter eos in ſuam ditionem recepit. Vuaiofarius cum paucis per ſyluam, quæ vocatur Edo-bola in pago Petrecorego latitans & huc illuc vagatur incertus. Præfatus rex Pipinus ad Guaiofarium capiendum inſidias iterum parat. Inde ad reginam ſuam de Sellum veniens legationem Saracenorum, quam Mettis ad hyemandum miſerat, ad Sellus caſtrum ad ſe venire præcepit, & ipſi Saraceni munera, quæ Amormuni tranſmiſerat ibidem præſentant. Iterum rex ipſis Saracenis, qui ad ipſum miſſi fuerant munera dedit, & uſq; ad Marsiliam cum multo honore adduci præcepit: Saraceni vero nauali euectione per mare redeunt ad propria.

Videur aliquid deſſe. Vide Aimoin. 4. cap. 67.

Præcel-

Præcellus rex Pipinus iterum de Sellus castro cum paucis ad persequendum Guaiofarium eo anno iterum ire perrexit, usque ad Sanctiones mira celeritate primus cum paucis venit. Cum hoc Guaiofarius audisset solito more terga vertit. Rex Pipinus in quatuor partes Comites, scaritos, & leudos suos ad perquirendum Guaiofarium transmisit. Dum hæc agerentur ut asserunt, consilium regis factum fuisset Guaiofarius princeps Aquitaniæ à suis interfectus est. Præfatus rex Pipinus iam tota Aquitania acquisita, omnes ad eum venientes dittonis suæ, sicut antiquitus fuerant, se faciunt. Cum magno triumpho & victoria Sanctionas, ubi Bertrada regina residebat, venit. Dum Sanctionas præfatus rex venisset, & causas pro salute patriæ & utilitate Francorum tractaret, à quadam febre vexatus ægrotare cœpit, comites suos ac iudices ibidem constituit. Inde per Pictaunum usque ad Turonis urbem ad monasterium beati Martini confessoris accessit, ibique multam elemosynam tam Ecclesijs quam monasterijs & pauperibus largitus est, & auxilium beati Martini petens, pro ut eius facinoribus domini misericordiam deprecari dignaretur. Inde promouens se cum prædicta regina Bertrata & filijs suis Carolo & Carlomanno usque ad Parisius ad monasterium beati Dionysij martyris veniens, ibique moratus est aliquandiu, cernensque quod vitæ periculum euadere non posset, omnes proceres suos, Duces & Comites Francorum tam Episcopos quam Sacerdotes ad se venire præcepit, ibique vna cum consensu Francorum & procerum suorum seu & Episcoporum, regnum Francorum quod ipse tenuerat, æquali sorte inter prædictos filios suos Carlum & Carlomannum, dum adhuc ipse viueret inter eos diuisit, id est Austrasiorum regnum Carolo seniori filio regnum instituit. Carlomanno

manno vero iuniori filio regnum Burgundiæ & Provin-
 ciæ Alesans & Alamaniam tradidit: Aquitaniam quam
 ipse rex acquirerat inter eos diuisit. His gestis rex Pipi-
 nus * post dies vt dolus est ad dicendum multitudinem
 & vitam simul caruit. Sepelieruntq; cum prædicti reges
 Carlus & Carlomannus filij ipsius regis in monasterio S.
 DIONYSII martyris, vt ipse voluit, cum magno honore.
 regnauitq; annis viginti quinque. His transactis prædi-
 cti reges Carlus & Carlomannus vnusquisque cum leu-
 delibus suis ad propriam sedem regni eorum venientes,
 instituto placito, initoque consilio cum proceribus eo-
 rum, mense Septembri die Dominico decimo quarto
 Calendas Octobris Carlus ad Nouionem vrbem &
 Carlomannus ad * Saxones ciuitatem, pa-
 riter vno die à proceribus eorum &
 consecratione sacerdotum
 sublimati sunt in
 regno.

fort. post dies
 III. (dolor est
 ad dicendum)
 multitudine
 & vita simul
 caruit Aimo-
 in 4. cap. 67.
 ait obisse 7.
 Kalend. Oct.

Suesionis di-
 citur ab Aimo-
 in. ib.

FINIS.



ZLLL

MENO.